

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere  
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem  
libros partitum**

**Marulić, Marko**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 M 1298**

Franciscvs Ivlianivs Venetus lectori felicitatem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35578**

# FRANCIS

CVS IVLIANIVS VEN  
tus lectori felicitatem



Aud sane me latet multos, vt humanog<sup>e</sup>  
neri opitularentur, & nomen sibi ex hoc  
pararent, multa ingenij sui monumenta  
reliquisse. Cum enim alia vetustate defi-  
cient, sola literarum monumenta & æter-  
na sunt, & mortalium res æternitat<sup>i</sup> com-  
mendant. Nihil sane æque humanum est, quam alteri  
prodesse. Quomodo enim melius cūlum cœtus publice  
priuatimque, nisi ab homine adiuuentur? Huiuscemodi  
igitur viris de humano genere bene meritis templadi-  
cata, aræ erectæ, statuæ consecratæ fuere. Quid igitur  
Marci Maruli singularis viri laudibus par referimus?  
Cuius vigiliæ cæterorum labores adeo superant, vt  
quanto illi cæteris præstiterunt, tanto hic ipsis præstā-  
tior iudicetur, qui tanquam lucidum fidus hac nostra  
ætate enituit, qui non solum sibi natus, immo ad com-  
munem omnium utilitatem nullis sudoribus parcit, vt  
hominibus auxilio sit: viuit, vt nos viuere faciat: labo-  
rat, vt quietem inueniamus, vt inquam bene beateque  
viuendo (prout ipse præ cæteris docet) cælorum sedes  
sortiri, beati ævo sempiterno fruamur, nosq<sup>e</sup> etiam in  
diuorum numeri relatos mortales ipsi ceu numina co-  
lant. Quid hoc maius excogitari potest? Spreuit diuini-  
as, spreuuit honores, ab ins in quibus sumimum bonum  
mortales collocant, se penitus abdicavit. Quid cætera  
commemorem, cum paruula admodum sæpius inclu-  
sus cella, inter sylvestres arbores, feris tantum comita-  
rus vitam degat, vt hi<sup>s</sup> curis alienus, nobis proxit. Scri-  
ptis semper vacat, quæ salutem vniuerso terrarum or-  
bi affierant, his se penitus addixit. Quid hoc viro,  
immó diuino spiritus sanctius, quid beatius. qui in car-  
ne præter carnem viuēs cælestiem vitam in terris agit?  
Quis itaque tam assiduam eius, in scribendo curam  
non admiretur, præsertim cum plurima ab eo volu-

mina iam perfecta sint? Adde scribendi facilitatem, ser-  
monis elegantiam, quodq; verborum pondere, senten-  
tiarumque grauitate nulli concedit. Interdu tamen se-  
dati amnis more labitur, modo paulum assurgens, sine  
villis salebris quasi torres pro rei qualitate decurrit in  
citatior. Acerime virtus insectatur. Taceo multiplicem  
literarum cognitionem, vt vtrum elegantiore stylo,  
an doctrina magis valeat non facile possis disjedicare.  
Donauit itaque nos diuino hoc opusculo, vt alias alia,  
Cui euangelistarum nomen indidit, ex intiniis sacræ  
theologiae fontibus, abditaque vtriusque instrumenti  
lectione haustum. Totam tripartitam moralem philo-  
sophiam complectitur. Cuius diuina cōsilia si exequen-  
da curabimus, in diuorum quidem cœtu gaudebimus.  
Quo igitur maiori munere donari potuimus? Quare  
quantum ipsi debemus, quis verbis queat consequi? Co-  
mendauit hoc salutiferum opus Francisco Lucensi sa-  
cerdoti integerrimo (Cui enim aptius diuina commen-  
dari possunt, quam illi qui quotidie diuina attrectat?)  
Qui vt bonos & doctos viros colit, & ab eisdem coli-  
tur (Simile enim simili veteri proverbio facillime hæ-  
ret) ita illorum opera vt quam emendatissima excudan-  
tur, vehementer laborat. Leges itaq; opus a viro & do-  
ctissimo & optimo elucubratum: a facydote vero ra-  
rissimo diligētissime excusum. Tu igitur nocturna ver-  
sato manu, versato diurna, cum tantum utilitas ex ha-  
ius lectione capturus sis. Bñ vale, & deum optimum  
maximum deprecare, vt Marulo nostro Nestore  
os annos largiatur, ipsumq; feliciorem red-  
dat. Expectato interim opus eiusdē Maru-  
li de imitatione Christi compluraque  
opuscula Christianæ pietatis cul-  
tori fructuosissima. Iterum  
V A L E.